



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

4 Praedicatorum eligendi munus ad Episcopum spectat, nisi adsit
consuetudo immemorabilis in contrarium, & num. seq.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Œnfuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium sunt cogendi; ita ut etiam, si eis sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse respiciens officium suum impleat, *d. c. 2. §. Archipresbyteri queq. sess. 5. & c. 4. de resor. sess. 24.* Quæri potest, quoad eos, qui parochis impeditis, loco parochorum ad prædicandum sunt deputandi, de duobus, Primò, an ab episcopo, vel à communitatibus, aut alijs sint deputandi. Secundò, quorū impensis debeant prædicare.

4 Quò verò ad primum † maxima fuit differentia inter communitatem loci Candix, Lumelline, Vercellen. Diœces. & me Vicarium generalem, qui, absente Episcopo, deputavi, misique prædicatorem. Et pro me faciunt verba sacre scripturæ: quomodo prædicabunt, nisi mittantur. *Rom. 10. c. cum ex injuncto de hæret. & Conc. Trid. eod. c. 4. ibi per alios ab Episcopo, & c. deputandos, & ita super eod. cap. fuit à sacra congregatione Cardinalium declaratum, ut in decis. sub. tit. Sipon. & in alijs decis. sub numeris recollectis decis. 192. & 251. nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore citrà: quo casu Concilium non sustulit hanc immemorabilem; ut declaravit eadem sacra congregatio in d. decis. sub tit. Sipontin. alia sub tit. Neapolitan. & alia sub decis. 355.*

5 Episcopus autem † habet semper intentionem fundatam, quia consuetudo est facti, quæ servatis servandis, parte citata probari debet, *l. 1. & ibi glo. in ver. probatis, & Bar. num. 3. c. que sit lon. consuetud. & in l. omnes populi, numer. 67. ff. de just. & jur. & plene debet probari, ita quòd testes singulares non probent eam consuetudinem, se-*

cundùm magis communem conclusionem, de qua testatur Olasch. *decis. 99. n. 8. & non sufficit probare quadragenariam, sed requiritur immemorabilis, ut in dictis decisionibus, quæ probari debet per testes deponentes, quòd semper viderunt, & audierunt, quòd prædicatores pro tempore fuerunt deputati à communitate; ita quòd nunquam audierunt, vel viderunt contrarium; & quòd communis est & semper fuit opinio in loco, quòd ita fuerit observatum, gl. in cap. 1. in ver. memoriam. de præscr. in 6. Bar. in lib. 1. §. fin. de aq. plu. arc. Natt. conf. 154. n. 5. vol. 1. & Corn. conf. 222. n. 1. vol. 1.* Et cum pro parte dictæ Communitatis Candix, fuisset differentia hujusmodi eoram sacra congregatione Ordinatorum in Urbe introducta, & supradicta sacra congregatione Episcopo Novariensi delegata, partibus pluries auditis, de anno 1597. pronunciatum est, ab Episcopo prædicatorem esse deputandum ex supra allegatis.

6 † Secundum dubium, qui prædicatoribus impensas præstare teneantur: si constat de solito, est decisum, quia illas tenentur præstare qui sunt in possessione ipsas subministrandi, Conc. Trid. eod. c. 4. ibi per alios ab Episcopo, impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent, *sess. 24. & ubi est consuetudo, quòd populus expensas, & elemosynam prædicatori persolvat, potest ad id per Episcopum cogi, ut in decisione supra eodem cap. 4. à sacra congregatione facta sub titulo Troian. Nuscan.*

Si verò nullum ad est solitum, nec cōsuetudo, erit distinguendū, quia aut parochus habet redditus sufficientes pro onere sustentando, & tunc ipse debet, & tenetur impensas, & elemosynā prædicatori subministrare; nam, cum sit proprium onus ipsius